162

31

DE ROMANA SANCTI PETRI CATHEDRA

ORATIO

HABITA IN BASILICA VATICANA

XV. Kal. Februarias MDCCLXVIII.

A B

ANGELO STAMPA ROMANO.

ROMAE MDCCLXVIII.

EX TYPOGRAPHIA JO: ZEMPEL PROPE MONTEM JORDANUM.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

Digitized by Google

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

CLEMENTI XIII.

PONT. MAX.

ANGELUS STAMPA

FELICITATEM.

Q*Uae in ſanctiſſimo orbis terrarum loco eſt a me habita Oratio, ea Tibi inſcribitur, & ſupplex ſe Tibi ſiſtit,* CLEMENS PONTIFEX MAXIME, *ut*

Digitized by Google

in ſinu complexuque tuo conquieſcat. Si quaeſieris, quae mihi res hoc tantum fiduciae dederit, vel potius audaciae, ut excelſam tuam, coeloque proximam dignitatem minime reformidem; fatebor, me initio muneris tenuitate perterritum, timuiſſe, ne dum aliquid apud Te gratiae inire vellem, in offenſionem potius animi Tui imprudenter incurrerem; intelligebam enim, quum nulla ſint viro Principe ſatis digna, Te certe omnium maximo eſſe nulla. Sed tua illa incredibilis & clementia, & facilitas, quae occurrere ipſa ſolet ſupplicibus, timenti animos addidit, diffidentemque excitavit. Haec me ſperare juſſit, futurum, ut Oratio, quae nullo eloquentiae, venuſtatis, elegantiaeque ornamento commendaretur; re ſaltem & cauſsâ, in qua verſatur Tibi nec gravis eſſet, nec

inju-

injucunda. Agit enim de illius Romanae Cathedrae dignitate, in qua omnis Eccleſiae unitas, firmitas, ſanctitas continetur; illius, inquam, quae lapis[1] *eſt angularis, columna, & fundamentum*[2] *veritatis, quippe cui decreta*[3] *cudere, edere interpretationes, leges ferre, vel immutare duntaxat licet, ſemperque licuit; & ſine qua, ne ipſa quidem, quibus nihil ſanctius, ſpectabilius nihil, conſiſtere Concilia poſſunt*[4]*; niſi quis autumet, qui ſupra prototypum eſt, non eum imagini ſupereſſe, excellere, eminere. Itaque cum Tu divinitus Cathedram hanc aſcenderis, ejuſque gloriam, & majeſtatem praeclariſſimis virtutibus*

 au-

(1) I. Petr. II. 2. (2) I. Tim. III. 15. (3) S. Ivo Carnoten. Ep. 8. ad Richer. Senonen. Archiep. S. Nicol. I. in Romana Synodo. (4) S. Auguſtinus Serm. 131., & 2. de verb. Apoſt. 10. Jul. Pontif. ep. ad Orient. apud Athan. Apol. II., & Sozomen. III. 9.

augeas, atque ornes; ſine, me univerſae Chriſtianae Reipublicae gratulari, quod talem nacta ſit Ducem, Magiſtrum, Principem, in quo mirifice ſplendeat virtus cum dignitate, & dignitas cum virtute. Quod ſi me ad Te accedentem, & hoc qualecumque eſt, grati animi pignus, ut ſoles, benigne exceperis; uberrimos induſtriae meae fructus percepiſſe gloriabor.

ORA-

ORATIO.

QUamquam a prima uſque origine, BEATISSIME PATER, ea fuerit Romanae Urbis dignitas & amplitudo, ut omnium gentium caput, omnium terrarum domina merito celebraretur; nihil tamen potuit illi accidere vel ſplendidius ad laudem, vel auguſtius ad majeſtatem, quam quod peragratis Ponti (1), Galatiae, Cappadociae, Aſiae, atque Bithiniae regionibus, beatiſſimus Apoſtolorum Princeps, ſacerdotalibus Infulis (2) decoratus, in hac tandem arce Imperii Sedem Pontificatus erexerit. Magna quidem fuit veterum

(1) 1. Petr. I. 1. (2) S. Leo Serm. XCVI. c. 1.

Digitized by Google

Romanorum in armis virtus, mira in adminiſtrandis rebus ſolertia, in bellis conficiendis felicitas; quo factum eſt, ut haec Urbs, quae opibus, divitiis, auctoritate caeteris antecellebat, tamquam ara ſociorum, & domicilium Imperii, & portus omnium gentium longe, lateque dominaretur. Verum gloriae hujus ornamenta, licet maximi mortales ducant, quam fluxa tamen ſunt, quam incerta, & anguſtis ſane finibus circumſcripta; quippe quae vel temporum inclinatio imminuit, vel rerum viciſſitudo ſubvertit! Quid contra honorificentius, & ad veram, ſolidamque praedicationem illuſtrius, quam non impotentiae, & erroris; non ſuperbiae, & vanitatis; ſed ſapientiae, ſed veritatis, ſed religionis, non in filios (1) irae, & diffidentiae, ſed in cives (2) Sanctorum, & domeſticos (3) Dei aſſequi principatum? Atqui ubi primum divino prorſus conſilio Petrus Urbem ingreſſus, Cathedram hanc Pontificalem aſcendit, ut inveteratae ſuperſtitionis fundamenta convelleret; tunc profecto inanem, fluxam-

(1) Epheſ. II. 3. (2) Ibid. V. 6. (3) Ibid. V. 20.

xamque gloriam cumulatae dignitatis ſplendor excuſſit; & quae arx antea fuerat erroris, & inſipientiae; repente Eccleſiarum caput eſt conſtituta, magiſtra effecta eſt veritatis. Itaque anniverſaria haec Principis (1) Apoſtolorum ſolemnitas digna quidem eſt, quam tota animi alacritate ſuſcipiamus, tota mentis devotione celebremus. Quoties enim de Romana Cathedra diſſeruerimus, in qua Eccleſiae unitas, firmitas, ſanctitas continetur; toties ad Romanae Urbis decus praeclariſſimum, ſingulare, de coeleſti illa doctrina recordabimur, quae, & veriſſima, & conſtantiſſima, & ſaluberrima, inde (2) velut ab ipſo capite per totum mundi corpus effunditur.

Quanta caecitate occuparetur, quantâque ignominiâ vetus Urbs Roma in maximo dominatu difflueret, triſti ſaepe vocabulo ſacrae litterae prodiderunt. Quoties enim, & magna Babylon (3), & Filia Babylonis (4) miſera appellatur? quod praeter (5) terrenae ſapientiae vanitates, praeter daemonum cultus, & impieta-

(1) S. Leo ibid. c. 1. (2) S. Leo Serm. LXXX. cap. 3.
(3) Apoc. XVIII. 10. (4) Zach. II. 7. (5) S. Leo loc. cit.

pietatem omnium ſacrilegiorum, diligentiſſima ſuperſtitione collegerat, quidquid uſquam fuerat vanis erroribus inſtitutum. Quoties Prophetae [1] calicem indignationis Domini magnae huic meretrici ſunt comminati; quod circumdata [2] purpura, & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioſo, poculum in manu haberet abominatione plenum, & immunditia; cum ea [3] ad ſupremum ſui dedecus fornicarentur Reges terrae, & de vino [4] proſtitutionis ejus inebriarentur! Quid? Non illa frementium beſtiarum ſilva, & turbulentiſſimae [5] profunditatis oceanus, in quo error, veluti archipirata velis pleniſſimis navigaret? O turpitudinem omni lacrymarum contentione deflendam! Superba enim vanitas illa imperii cum impuriſſima caligine ſuperſtitionum, quid erat aliud, quam in dominatu ſervitus indigniſſima? Sed aliquando laetiſſimus illuxit dies, quo [6] Dominus cognitans cogitationes pacis mitteret ad nos Sacerdotem magnum, qui morti-

(1) Apoc. XVI. 19. (2) Apoc. XVII. 4. (3) Ib. XVIII. 3. & XVII. 2. (4) Ib. XVII. 5. (5) S. Leo Serm. LXXX. c. 4. (5) Jer. XXIX. 11.

mortiferas noctis umbras luce Evangelica diſſiparet[1]; Civitatem quo per diabolum tenacius alligatam, eo mirabilius per Chriſtum[2] redderet abſolutam; & Cathedrâ veritatis hic conſtitutâ, quod in[3] omnium gentium ſalutem revelabatur, in omnem terrarum Orbem Dux, & Magiſter effunderet: cui enim niſi Petro, & iis, qui ejus loco ſuccederent & Sedem hanc ampliſſimam occuparent, licuit praedicare[4]; *Scitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit, per os meum audire gentes verbum Evangelii, & credere?* En igitur deleta blaſphemiae[5] nota, quae intus reſidebat; en facies Urbis immutata; & quae[6] opprobrii plena, & amaritudinis Babylon meretrix dicebatur, feſtivis undique vocibus nunc effertur[7], Dei Tabernaculum, lapis angularis[8], ſancta Jeruſalem[9], Civitas ſacerdotalis, & regia. Itaque induatur[10] Sion ſtolâ

(1) S. Ambroſius libr. IV. ad Grat. Imper. de Fide c. 3.
(2) S. Leo loc. cit. c. 2. (3) Ibid. c. 3. (4) Act. XV. 7.
(5) S. Hieronym. adv. Jovin. lib. 2. (6) Apoc. XIX. 2.
(7) Apoc. XXI. 2. (8) Apoc. XXIX. 2. (9) 1. Petr. II. 6.
(10) Iſa. XLIX. 18.

Digitized by Google

ſtolâ jucunditatis, levet in circuitu oculos, videat, & affluat: ſi quos enim fines habuit ignominia, nullos habebit terminos gloria. Filii hominum [1] gravi corde, qui diligunt vanitatem, & quaerunt mendacium obſtupeſcant provincias, quas olim Roma confecit; populos, quos armis domuit, pugnas innumerabiles, incredibiles victorias, monumenta, munera, triumphos audientes, & legentes ſuos. An magnificum illi fuit caeteris imperitare, cum caeterorum ſuperſtitioni ſerviret? Nunc profecto, nunc pleno jure glorietur, quod Sacerdotali decorata faſtigio, veritatis in omnes populos adepta eſt magiſterium; tanto quidem praeſtantius, quanto caducis aeterna ſunt praeſtantiora. Quid enim ſplendidius, quam quod una poſſit imperitos docere, errantibus opem ferre, ſublevare lapſos, devios revocare, incertos ducere, judicare omnia, omnibus providere [2]? Itaque ob conſtitutam hic Petri Cathedram caput Orbis effecta, latius praeſidet religione divina, quam dominatione terrena;

(1) Pſal. IV. 3. (2) Aëlredus Abbas Rievalenſis in Iſaiam Prophetam.

rena ; & minus eſt, quod bellicus ei labor ſubdidit, quam quod pax Chriſtiana ſubjecit [1].

Atque haec dignitas latius multo patebit, ſi animadverterimus, Petrum, quod Cathedram Romae defixerit, auctoritatis quoque ſuae vim Romae voluiſſe poſitam, & ſtabilitam. Equidem gloriae non mediocri Jeruſalem tribuetur, quod exordia naſcentis Eccleſiae viderit; viderit Petrum ipſum e coenaculo tanquam e caſtris erumpere, & pravitatem a tergo, a fronte, a lateribus aggredi, atque oppugnare; ut tenebras, quae hominum mentes occupaverant, puriſſimo Evangelii lumine excuteret. Nec minor erit laus Eccleſiae Antiochenae, quae ab eodem Apoſtolorum Principe [2] fundata, atque erudita, eo ampliori dignitate fulgebat, quo Auctoris ſui dignitas latius extendebatur. Verum gloria haec perbrevis, non certa fuit; temporaria laus, non diuturna; & gravis calamitas, quae utramque Eccleſiam invaſit, & adhuc afflictam tenet, veteris ſplendoris jucunditatem funeſtiſſima recordatione contriſtat. Quum vero

(1) S. Leo Serm. LXXX. c. 1. (2) S. Leo ib. c. 5.

ro Petri Cathedra, quae tot urbes, atque regiones majeſtate ſua nobilitaverat, Romae tandem ſit collocata, hic ſtabilem ſedem habeat, certum domicilium; quid aliud Cathedrae hujus perpetuitate, quam Romanae Eccleſiae firmitas declaratur? Profecto dum Apoſtolos[1] cribraret Satanas, pro quo enixe Patrem rogavit Chriſtus, niſi pro Petro, ne[2] fides ejus deficeret; ſed in contentionibus, in periculis, in tempeſtatibus, fortiſſimam ſe, & invictiſſimam, & perſeverantiſſimam[3] exhiberet? Numquid Dei Filii, cujus idem[4] eſt velle, ac poſſe, preces fuerunt irritae? Itaque cum bonus Paſtor, & Epiſcopus animarum[5] noſtrarum Petrum ſelegiſſet, quem ſuper, veluti petram[6], mox aeternam Eccleſiae ſuae molem aedificaret; quis non intelligat, Petro eam poteſtatem fuiſſe divinitus creditam, atque commiſſam, ut ubi hanc Cathedram aſcendiſſet, tunc in petrae naturam tranſiret;

tunc

(1) Luc. V. 22. (2(Luc. XXII. 32. (3) S. Aug. de Cor. & Grat. VI. & VIII. Theophilact. in cap. 22. Lucae.
(4) S. Leo ad Michael. Patriarch. Conſtantinop. (5) 1. Petri II. 25. (6) Matth. XVI. 18.

tunc firmamentum fieret, cui omnium Mater Eccleſiarum, & Princeps conſtantiſſime innitetur; nullis unquam incurſionibus, nullo hoſtium impetu labefactanda? Succeſſoribus enim ſuis Petrum, quod acceperat, novimus (1) tradidiſſe. Equidem perditi homines ſaepe numero coeci, atque praecipites in hanc (2) columnam veritatis irruêre, ut eandem, aut opinionum perverſitate dejicerent, aut funeſtiſſimis erroribus labefactarent. Haec tamen ſponſa uxor (3) Agni, nec maculam, nec rugam habuit; ſed ſancta quovis tempore, & (4) immaculata permanſit. Non ſemel Piſcatoris navicula ita procellis, atque turbinibus eſt in alto jactata, ut ſaevientibus undique fluctibus pene obruta videretur. Semper tamen omnes ingruentium ventorum impetus, omnem diu collectam tempeſtatum vim, & ſuſtinuit fortiter, & feliciter ſuperavit: quod naufragium metuere illa non poterat, adverſus quam (5) portae inferi nunquam praevaluiſſent. Hanc igitur

Cathe-

(1) Sixtus III. ad Joann. Antioch. (2) I. ad Tim. v. 15.
(3) Apoc. XXI. 9. (4) Epheſ. V. 26. (5) Matth. XVI. 18.

Digitized by Google

Cathedram anniverſaria celebritare venerabundi merito colimus, unde in Romanam Eccleſiam illa firmitas redundavit, quam nulla vis, nullus impetus movere potuit, nedum vincere, aut deturbare.

Sed in hoc divini diſpenſationem conſilii mirari neceſſe eſt. Cur enim in hoc pulcherrimo Orbis terrarum loco Petri Cathedra collocaretur, quae mundum univerſum fulgore ſuo illuſtraret? Eo ſane conſilio, ut rerum divinarum interpres, ac judex ſalutis aeternae fontes cupientibns aperiret. Res igitur poſtulabat, ut quae caeteris erudiendis praeficiebatur, numquam a veritate, juſtitiaque deflecteret; & quae iter luce ſua errantibus commonſtraret, nullis umquam tenebris offunderetnr. Quid enim homini optabilius eſſe debet, quam virtutis viâ graſſari ad gloriam, quae nec converſionem ſtatus, nec temporum inclinationes, nec rerum viciſſitudines pertimeſcat, ſed immutabili aeternitate contineatur? Quid contra homini facilius eſt, quam decipi? praeſertim quum & ea conſtantiſſime profitenda ſint, quae ſenſum omnem exſuperant,

rant[1], & iis cupiditatum fluctibus quotidie urgeamur, ut, niſi ratione, & diſciplinâ comprimantur, illae intus incluſae animis efferveſcant, & mores, ingeniumque depravent. Gratiam igitur agamus Deo quantam maximam animi noſtri capere poſſunt, qui ne in re omnium graviſſima laberemur, hanc nobis Cathedram conſulendam propoſuit, cujus inſtituti legibus, atque praeceptis ad eum tandem accederemus, qui via eſt, veritas, & vita; via ſcilicet converſationis ſanctae, veritas doctrinae coeleſtis, vita beatitudinis ſempiternae. Atque utinam vacuis auribus haec attendere paullisper vellent, qui funeſtiſſima opinionum perverſitate corrupti, dereliquerunt fontem aquae vivae, &[2] foderunt ſibi ciſternas, ciſternas diſſipatas, quae continere non valent aquas! Quam celeriter ad[3] petram, unde exciſi fuerunt, reverterentur! Quam anxie ad ejus ſepta contenderent, cui Redemptor fortis Jacob[4] oves, & agnos ſuos paſcendos

(1) Philipp. IV. 7 (2) Serem. II. 13. (3) Iſai. VI. 1.
(4) Joann. XXI. 16. 17.

ſcendos [1] credidit; matres nempe commiſit, & filios; ut ita, & [2] ſchiſmata omnino tolleret, & veritatem [3], unitatemque omnibus commendaret! Siquidem intelligerent, Romanâ niſi in Fide [4] acquieveris, nuſquam tibi certum futurum, ubi conſiſtas, locum; non paſcua, non Paſtorem, non perfugium; imo ne aram quidem, quae te digreſſum ab Arca Noe excipiat, & tueatur; quoniam de Petri dumtaxat ſucceſſoribus, illud eſt veriſſime [5] praedicatum; *Vos jam inde ab initio verae Fidei ſemper illimis fons, ac ſincerus, unde perpetuo puri latices capitis incorrupti manarunt; vos contra Haereticorum procellas tranquilla ſtatio; vos a Deo eſtis ad ſalutis perfugium electa Civitas.* [6]

Sed illi ſibi conſulant. Nos, quibus dixit Dominus [7] exercituum; *reverſus ſum ad Sion, & habitabo in medio Jeruſalem, &* voca-

---

(1) S. Eucherius Epiſc. Lugdunenſis, ſive Euſebius Gallus Hom. in vigil. S. Petri.
(2) S. Optat. Mil. l. de Unit. Eccl. (3) S. Aug. ep. 166. ad Donat. 8. II. pag. 103. (4) S. Thom. Cantuar. ep. 97.
(5) Theodor. Stud. ep. ad Paſch. Pont. (6) Ep. Innoc. ad Concil. Carthag., & Mil. (7) Zacch. VIII. 3.

vocabitur Jeruſalem civitas veritatis, *&* *Mons Domini exercituum*, *mons ſantificatus*; ad hanc Cathedram reſpiciamus, quaſi ad ſolem ſalutaris, ac ſempiterni luminis [1], ubi Fides, ubi Religio, ubi Patrum haereditas firma, & incorrupta ſervatur.

---

(1) S. Maxim. ap. Baron. ad ann. 807.

Digitized by Google

IMPRIMATVR.

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

D. Jordanus Patriarch. Antioch. Viceſg.

IMPRIMATVR.

Fr. Thomas Auguſtinus Ricchinius Ordinis Prædicatorum Sac. Pal. Apoſt. Magiſter.

SS 876445

Digitized by Google